

Z E L A N D I A .

benignior est conditio, quod in his omnes liberi masculi pariter admittantur. Zelandica mala feuda, deficientibus liberis masculis domino commissa, secundum antiqua Comitum privilegia atque indulta, filiabus, vel his non extantibus, agnatis masculis, aut, si agnati non extent, cognatis masculis, redemptionem intra semestre postulantes, pretiumque constitutum offerentibus, ex gratia speciali denuo conceduntur. Ad hanc vero redemptionem filiarum pariter admittuntur, sed inter agnatos vel cognatos unus præ reliquis gradus atque ætatis ha-

bet prærogativam: admittitur tamen remotior, si præcedens suo jure uti nolit. Hæc autem redemptio decimarum feudalium nomine solis datur fratribus inter propinquos laterales, nec cuiquam remotiori agnato vel cognato jus illud competit. De pretio redemptionis in singula jugera constituto videantur Zelandicæ constitutiones, quas Philippus Burgundus Zelandiæ Comes sanxit. Elapsis sex mensibus, quibus redemptio non fuerit per filias vel laterales propinquos postulata, neque pretium oblatum, hæc feuda plenissimo jure Principi committuntur.

